



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio CXLIII. Christus crucifixus est vera idea, exemplar & fortitudo sanctorum Martyrum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

1. Pet. 1. 18.

S. August. in
Manual.


Vira. & Hadr.

Lyr. de Chr.

Pat. lib. 5 c. 7

Araria nostra sunt 5. SS. Vulnera Christi, ex quibus pretium accipere possumus, quo aeterno Patri pro debitis nostris usque ad ultimum quadrantem satisfaciamus: *Non enim corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paterna traditionis: Sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi & incontaminati.* O thesaurum infinitum, thesaurum incomparabilem, thesaurum nunquam exhauriendum: *Quidquid mihi deest, ait S. Augustinus, usurpo mihi ex visceribus Domini mei, quoniam misericordia affluunt, nec desunt foramina, per qua effluunt.* Et quis, obsecro, ad hæc SS. Vulnera non accedat?

8. Hanc veritatem experta est Venerabilis Anna à S. Bartholomæo ex nobilissima prosapia oriunda, quæ, cum à Matre & fororibus ad saltum abduceretur, & nunc à juvene æquè nobili ad tripudium invitaretur, prius oculos ad cælum levavit, viditque super caput suum adstantem Dominum Jesum manibus ac pedibus & latere vulneratum, multoque fluentem sanguine, qui illam compellans: *Vide, inquit, filia quam graviter me afficiat sociarum tuarum levitas, in quam te insinuas.* Quo viso, & audito sine mora periculosam reliquit societatem, ac mundo valedicens, elegit sibi tutiorem salutis portum, videlicet monasterium S. Theresiæ V. cujus exinde in vita focia fuit, & zelosissima 5. SS. Vulnerum cultrix, unde & sanctimonix laude multisque prodigiis claruit. En habes Exemplum de cultu SS. Vulnerum. Imitare.



CONSIDERATIO CXLIII.

Christus Crucifixus est vera idea, exemplar & fortitudo Sanctorum Martyrum.

Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Exod. 25. 40.

i.

Sep. 10. 18.

MOyses Hebræorum Dux ac Legifer prodigiosâ suâ instructus virgâ, populum Israeliticum ex servitute Pharaonis eductum, per mare rubrum sicco pede feliciter in Palæstinam ac terram desiderabilem traduxit: *Transtulit illos per mare rubrum*

brum, & transvexit illos per aquam nimiam. Christus Dux ac Legifer noster per mare rubrum passionis suæ per prodigiolam SS. Crucis suæ virgam millones SS. Martyrum ac piorum Christianorum transtulit, ac transvexit in cœlum, quibus omnibus dux & antesignanus extitit, ut ipsum alacriter per omnes persecutionum, adversitatum & tormentorum sequerentur fluctus. S. Bernhardum attende: *Vult, inquit, benignus dux devoti militis vultum & oculos in sua sustolli vulnera, ut illius ex hoc animum erigat, & exemplo sui reddat ad tolerandum fortio-rem: Enimvero non sentiet sua, dum illius vulnera intuebitur. Stat Martyr tripudians & triumphans, toto licet lacero corpore, & rimante latera ferro non modo fortiter, sed alacriter sacrum è carne sua circumspicit ebullire cruorem. Ubi ergo tunc anima Martyris? Nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus Jesu, vulueribus nimirum patentibus ad introeundum.*

2. Desideravit quondam Moyses, & à DEO instanter petiit, ut ejus gloriam ac faciem posset intueri; & responsum est ei à Domino: *Est locus apud me: ponam te in foramine petra.* Petra autem perforata erat Christus, per cujus SS. Vuluerum foramina Sancti Martyres, & quotquot ad æternam vitam erant prædestinati, hætenus ex hac lacrymarum valle ad cœlestem & sempiternam transferunt gloriam, quia ipse est ostium ad cœlum: *Ego sum ostium: per me si quis introierit, salvabitur.* Si ergo cum SS. Martyribus & Electis aliquando vis videre faciem & gloriam Domini, certa nunc cum illis egregiè & fortiter: *Unde, ait S. Chryso- Jo. Chryso- stomus, tu Christiane delicatus es miles, si putas te posse sine pugna vincere; sine certamine triumphare. Exere vires, fortiter dimica, atrociter in p- lio isto concerta. Considera pactum, conditionem attende, militiam nosce: pactum quod spondidisti, conditionem quâ accessisti, militiam cui nomen d. disti.*

3. Immortali laude dignus est ille armiger, qui Jonatham Dominum suum per eminentem petram, ac per prærupta saxorum ad invadenda Philistinorum castra generosè secutus est: *Ascendit autem Jonathas & manibus & pedibus reptans, & armiger ejus post eum.* Ascendit Dominus Jesus gravissima oneratus cruce, manibus ac pedibus reptans in Calvariæ rupem, ut ibidem cum peccato, mundo, morte & diabolo pugnaret, fecitque victoriam. Armigeri ejus sunt omnes SS. Martyres, qui ejus secuti sunt vestigia; unde D. Augustinus: *Nihil sic elucet, quomodo caput Martyrum: ibi melius intuemur, quod illi experti sunt; parum er- go erat, Dominum hortari Martyres verbo, nisi firmaret exemplo,*

4. Lignum illud amarum, quod Moyses in aquas Maræ misit, aquas salvas & amaras in dulces convertit: *At ille (Moyes) clamavit ad Dominum, qui ostendit illi lignum, quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versa sunt.* Lignum illud amarum, ait S. Antoninus, crucem Dominicam

S. Antonin.
p. 4. Tit. 3.
cap. 7.

præsignavit, quæ Sanctis Martyribus omnes poenas ac cruciatus dulces reddidit; unde ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati.

Exod. 15. 40.

Ad Moysen quondam dictum est à Deo: *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Mons iste Calvarium montem adumbravit, in quo Christus in cruce pendens omnibus SS. Martyribus, imò cunctis fidelibus exemplar factus est perfectissimæ obedientiæ, fortitudinis, patientiæ, charitatis, humilitatis, contemptus mundi, omniumque virtutum.

2. Reg. 12. 11.

5. Urias vir in paucis egregius noluit Davidis Regis acquiescere consiliis, qui illi de castris ad aulam regiam venienti suavit, sed non persuavit, ut domum se conferret, ac suo indulgeret genio: *Nunquid non de via venisti? quare non descendisti in domum tuam?* Respondit Urias: *Arca Dei & Israel & Juda habitant in papilionibus, & Dominus meus Joab & servi Domini mei super faciem terra manent, & ego ingrediar domum meam, ut comedam & bibam?* Absit hoc à me, non faciam hanc rem, non faciam.

1. Petr. 4. 1.

En egregium typum SS. Martyrum, qui seipso in omni tentatione ac cruciату animabant: *Dominus meus JESUS pendet in patibulo, & ego voluptate fruor?* Exemplum is dedit nobis, ut, quemadmodum ille fecit, ita & nos faciamus, ejusque cruenta sequamur vestigia: *Christo imitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* Hæc erat communis Martyrum vox & sensus: Ego amore Christi pro me tanta passi, & crucifixi, crucem, mortem, feras, ignes, equuleos, & quævis tormenta subire desidero; ut dolorem dolori, amorem amor non ex æquo, sed quoad possum, rependam.

Exod. 3. 2.

6. Ubi quondam populus Dei electus sub servitute Pharaonis crudelem in modum in operibus luti & lateris torquebatur, DEUS Moysi in rubo ardenti se videndum exhibuit: *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Et cur inter spinas? Respondent Interpretes, ut populo suo electo inter tot tribulationum spinas tunc constituto, animum adderet ad quæcunque adversa, dolores ac labores ob spem assequendæ terræ promissionis fortiter sustinendi.

Cornel. hic.

Subintrat hic Cornelius: *Verbum in rubo est Verbum in cruce, quia ubique inter spinas?* hoc ergo Verbum SS. Martyribus animum addidit quæcunque pro DEO & animæ salute perferendæ adversa. Nicodemum considera Synagogæ quondam Judaicæ principem, discipulum Christi præ metu Judæorum occultum; Sed ubi JESUM in cruce suspensum vidit, seposito omni timore ac respectu humano, illum de fatali ligno deposuit, & mortui Redemptoris corpus cum aromatibus sepelivit; quod cum cognovissent Judæi, à suo eum amoverunt principatu,

patu, & in exilium eiecerunt, in quo & piissimè mortuus est, atque ob hoc insigne pietatis officium factus est Martyr. Ita Cornelius in Joan. 19. 39.

7. S. Nicodemo adjungo S. Josephum ab Arimathæa, virum prænobilem, divitem, & optimum decurionem, qui viso Jesu in cruce & dolorosa Matre ejus, misericordiâ erga utrumquemotus, audacter introivit ad Pilatum, & petiit patibulatum corpus Jesu, acceptumque de cruce mundâ sindone involvit, & in suo monumento novo, quod in petra exciderat, collocavit; ob quam causam à Judæis navi sine velis & remis cum S. Lazaro, Martha & Magdalena impositus, Deo duce ac remige feliciter Massiliam appulit, & inde in Angliam delatus, Christum crucifixum prædicavit, ac piissimè obiit. O virum egregium! cui omnis mortalitas humana obstricta est, qui antè ob mecum latebat, sed jam publicè crucifixi Jesu se declarat discipulum. Imitare exemplum, & perpende quid sit attentè considerare Christum Crucifixum.

8. Audi Exemplum. Anno Domini 130. cum sub Adriano Imperatore Euphratenses & Gedareni imperium vi & armis decrevissent oppugnare, Imperator ingenti coacto exercitu eos reprimere statuit; inter quos suos milites decem millia Christianâ fide & lege imbutos reperit, quos cum frustra blanditiis & minis ad idolorum sacrificium & cultum invitasset, & illi constanter Christum & hunc crucifixum prædicarent, eos iisdem pœnis ac tormentis, quibus Salvator olim affectus erat, cruciari jussit, unde illufos, flagellis cæfos, spinis coronatos, in monte Ararath feriâ quadam sextâ die 22. Junii unam cohortem post alteram, ac tandem omnes in crucem agi jussit, ac crudeli lanceâ eorum pectora transverberari. Martyrologium Romanum hoc de illis habet: *In monte Ararath passio sanctorum decem millium crucifixorum.* Facta sunt autem in illorum morte illa ipsa signa, quæ in passione Christi contingebant, dum densissimæ tenebræ factæ sunt, regio illa terramotu concussa, petra scissa, & Sol obscuratus; quorum corpora exinde Angeli de crucibus, quæ sylvam quandam repræsentabant, deposuerunt, & in dicto Armeniæ monte sepelierunt: Quorum omnium dux fuit S. Achatius, S. Theodorus Capitaneus, S. Hermolaus Episcopus, & alii generosi milites, quorum nomina sunt in libro vitæ. O felix Sanctorum decem millium Martyrum corona, quos vox de cælo lapsa ad æternam gloriam invitavit, & quos crucifixus Jesus eadem, quâ ipse, morte glorificavit. Vivite nunc felices, quibus crux lux & dux fuit ad cœlestem patriam &c.

Martyrol.
Petr. Canisii,
22. Junii.